

unquam comparandum esse duco, praeter eum, qui futurus est in excidio huius universi. Caeterum simillima hac etiam ex parte ratio est N. T. ac V. Illud enim quoque initia sua iam pridem ceperat ante publicam atque solemnem inaugurationem suam, ceperat vero cum abrogatione foederis (2) operum, ac sanctione foederis gratiae, & permulta saecula vige-
bat, Mosis autem aetate demum in monte Sinai fulgure ac tonitru, tubarum sono, ac ingenti terrae motu publice inaugu-
ratum fuit, (3) quod variis rationibus nititur, quia scilicet Ieremias XXXI, 32. docet, Deum cum Israelitis foedus pepigisse, cum eos ex Aegypto educeret, nixus auctoritate Mo-
sis, qui Israelitas sanguine conspergens pronunciavit Exod. XXIV, 8. *En sanguinem foederis, quod Deus vobiscum inii;* quem actum solemnem Paulus manifeste interpretatur dedi-
cationem (ἐγκαίνια) V. T. Ebr. IX, 18. idem deinde confirma-
tur, quod Paulus dicat, prius duorum testamentorum fuisse e
Sina, Gal. IV, 24. ac denique Moses affirmat Deut. V, 2. 3. Deum in Horeb foedus cum Israele sanxisse, quale non sanxe-
rit cum maioribus eius.

§. 8.

Verum longius digressa est oratio nostra, redeamus ergo ad propositum, & exponamus motum illum huius uni-
versi, quo invictissima ratione confirmata est nostra βασιλεια
αἰσάλευτος. Ut brevitati studeamus, tertiam & quartam propo-
sitionem orationis Paulinae colligamus, vocem Iesu in Sinai
solam concussisse terram, at in supplicio Christi extremo &

B 3

terram

(2) Negant Sociniani, ordinem salutis Adamo in statu integritatis
praescriptum, fuisse foedus divinum cum Adamo initum. In op-
pugnando hoc errore video quosdam concedere, eum salutis ordinem,
expressis verbis in scriptura S. non dici foedus; at Hof. VI, 7. dicitur
foedus, verbis maxime perspicuis וְהִטְוִי כִּפְתָּרִים עִבְרֵי בְרִית
illi foedus violarunt, sicut ADAM.

(3) VVITSIVS l. c.

§. 20. p. 219.